



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Vita Reverendi Patris Martini Stredonij Soc: Jesu**

**Schwertfer, Wenzel**

**Pragæ, 1673**

Caput XXVIII. Qualiter bonam mortem per decursum Vitæ, sibi precatus fuerit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43132**

tijs, aut alijs violentis vitam sibi eripiunt, aut clausum sibi coeli ostium infernum apertum edicunt, aut traditos se jam atro satellitio, aut cruentis infernalibus bestijs lamentantur.

## C A P U T XXVIII.

Qualiter Bonam Mortem per decursum Vitæ, sibi precatus fuerit.

**B**onam sibi, & ex bona omnes illas mortes precabatur P. Martinus, quas etiam, ut videbimus, felicissime obtinuit à DEO. Quod enim eleganter ascetico spiritu distinxit, hoc praxi per vitam constanter usurpavit.

*Latam* ergo mortem precari sic est aggressus, & quidem hanc die Dominico, reliquas frequentibus ferijs. circa eam verò sic occupabatur. Ubi negotijs Regularibus finem faciebat signum capeffendæ quietis, ad se ingrediens, & secum habitans, ità animam alloquebatur: *Hunc tibi crede diem mea mens luxisse supremum.* Repetit te ab hoc corpore, cui precario concessa eras, legitimus possessor DEUS. & de corpore quidem frater mortis somnus, & sarcophagi propinquus lectulus, quid acturi sint per ingruentes istas tenebras, ipsum viderit. Tibi  
autem

autem quomodo rationem tuorum in corpore gestorum reddas, est providendum. Eamus sanè, & adoratâ DEI Providentiâ, conscientia nos sistamus, & ab ea reprehensibilia in nostris cogitatis, dictis, factis, omisissisque & infectis animadversa exquiramus. Quod maculosum aut defectuosum, aliterque nobis noxium indicarit, cum ea ad thronum misericordiae sinè mora accurramus, & ut ibi sanguine Salvatoris emundetur, ex meritis ejusdem suppleatur, & immensa DEI benignitate, quàmprimùm justificetur, evincamus. De nostro etiam satisfactio, quam tempus admisserit, continuò adjungatur. Castigetur cogitatio reprehensione, detestatione, confusione; cor contritione. Dicta & facta ac infecta, similiter in se, ac in causis, à quibus prodierunt expientur, & quæ membra sive oculi sive lingua, sive manus servierunt iniquitati ad iniquitatem; luant statim pœnas voluntarias conciliandæ justitiæ. Hinc ad sacrum Pœnitentiæ Tribunal, ultimùm absolvendi prosternamur, & à S. Matre Ecclesia magno isti nostro & periculoso itineri viaticũ, imminenti que luctæ & agoni Sacræ Unctionis extrema auxilia humillimè postulemus, & tandem dexteram ardenti Sacro Cereo; fidem verò ac fiduciam nostram Diviniore flammâ luculentiorẽ, quàm unquam aliàs instruamus.

Perfe-

Perfectis ritè his omnibus, & obtento aliquo de præsentè Divinâ gratia argumento, subijciebat: *Nunc letus moriar Domine DEUS meus, quia inveni gratiam in oculis tuis. Nunc dimittis servum tuum Domine, &c. Letatus sum, &c. Te DEUM laudamus. In manus tuas Domine commendo & repono spiritum meum. Quem si retenturus sis deinceps, sis benedictus in æternû! si vitæ producendæ redditurus, sis iterum benedictus in æternum! Pro eo tamèn loquar ad Dominum DEUM cùm sim pulvis & cinis. si ità placitum est ante te, & si inveni gratiam in oculis tuis. da mihi mortem Letam & finem perfectum, Domine DEUS omnipotens. Quanta audivimus & videmus erga dilectos servos tuos, ex militantis hujus Ecclesiæ Castris adducendos clementiæ & beneficiæ argumenta! Fuerunt qui ab Unigenito Tuo visitati, animati, recreatique sunt! Fuerunt qui ab ejusdem sanctissima Parente lustrati & peruncti, angore animi, & corporis cruciatu expediti ab hoste maligno, vel insultante, vel insidiantè liberati. Fuerunt, qui frequentiore Angelorum ministerio, quàm valetudinariorum officijs sunt adjuvi; qui ab eisdem delato sacro viatico sunt refecti, ac in tentationibus ad victoriam roborati ac defensi. Fuerunt qui Sanctos Apostolos, Martyres, & Confessores, medicos, consolatores,*

res,

res, viæ ad æternitatem comites sunt experti. Fuerunt qui ad Sanctarum Virginum choris in cœlestia cantica audienda sunt invitati! Minor ego sum & indignissimus beneficijs tantis. pro eis tamen, & magnificæ tuæ gratiæ, venerabundus gratias ago, eamque Sanctis tuis, quos ita mirificasti reverenter gratulor. Sufficit mihi, quod alioqui merui, si me non proijcias à facie tua, & Spiritum Sanctum tuum nè auferas à me, qui me bonus deducat in terram rectam, & adducat in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua.

*Feriâ 2.* Eodem modo se exercebat, nisi quod obtentâ Divinâ gratiâ pro *lata*, securum se mori pronuntiaret, & Psalmis memoratis alios substitueret, securitatem, spirantes. Videlicet: *In te Domine speravi* 30. *In Domino confido* 10. *Ad te levavi animam meam.* 24.

*Feriâ 3.* Similiter agebat se libenter mori subijciens Psalmum 41. *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes.* & 93. *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum.* & 96. *Fundamenta ejus in montibus sanctis.*

*Feriâ 4.* Cùm tranquillam Mortem peteret, præmittebat: *In pace in id ipsum dormiam & requiescam.* Psalmum 39. 15. & 17. *Expectans expectavi. Conserva me Domine. Diligam te Domine.*

*Feriâ 5. Usurpabat : Fiat voluntas tua cū Psalmo 22. 26. 45. Dominus regit me; Dominus illuminatio mea. DEUS noster refugium & virtus.*

*Feriâ 6. In spiritu humilitatis & animo contrito. cum Psalmo 76. 56. 97. Voce mea. Misere mei, quoniam in te confidit anima mea. DEUS DEUS salutis meæ, decurrebat.*

*Sabbato. Introibo, inquit, in Domum tuam in holocaustis. additis Psalmis 122. 125. 37. Ad te levavi oculos meos. In convertendo Dominus captivitatem Sion. In conspectu Angelorum psallam tibi.*

Alterâ Hebdomadâ, quâ malam mortem deprecaturus erat, vivacissimè imprimis eandem apprehendebat, cum consequente infinitate malorum. & cū diem Dominicum transigisset, cum frequentiori DEI memoracione Brutam Mortem averfans ac deprecans canebat: *DEUS DEUS meus ad te de luce vigilo. Feriâ 2. præmissis per diem humiliationibus orabat: Domine non est exaltatum cor meum. Feriâ 3. contra Intricatam opponebat Psalmum 14. Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? Contra Lutulentam Feriâ 4. Salvum me fac DEUS, 68. Feriâ 5. contra amaram Psalmum 5. Verba mea percipe Domine. contra Furentem Feriâ 6. Psal: 131. Memento Domine David Sabbato contra Despe-*

*Desperatam, Psalmum 61. Nonne DEO subiecta erit anima mea?*

*Tertiâ denique Hebdomadâ in ea mortis genera, quæ media, sive Indifferentia superius appellata fuerunt, bona effecturus, perfectissimam sui abnegationem, & plenissimam voluntatis suæ in manus & arbitrium DEI resignationem exercebat. Et cum earum electionem à DEO sibi proponi imaginaretur, humillimè ignorationem delectionum prætendens, determinationem Domino relinquebat. & in 1. quidem exemplo Christi usurpans, *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis Pater.* In 2. cum Davide: *Paratum cor meum, Paratum cor meum DEUS,* acceptare videlicet, quod tu decreveris. In 3. cum Heli: *Dominus est, quod bonum est in oculis suis, faciat.* In 4. Cum Joab: *Dominus faciat, quod bonum est in conspectu suo.* In 5. cum Judith: *Secundum voluntatem suam, sic faciat nobiscum misericordiam suam.* In 6. cum Juda Machabæo: *Sicut voluntas fuerit in cælo, sic fiat.* In 7. Cum Ecclesia: *Pater noster, fiat voluntas tua, sicut in cælo & in terra.**

Vides mi Lector, quanta in hoc viro lucis sublimitas, & accuratio per vitam ad subeundam illam aleam æternitatis! quantum Viri sancti, pro puncto illo periculi pleno solliciti fuerint! Vides, inquam; quid P. Martinus, DEI

femper & cœli memor in suis cogitationibus & conatibus voluerit, ut tandem bonam ac beatam mortem, de qua pauculi non magnopere laborant, assequeretur! Qualiter autem in ipso mortis articulo se gesserit, qualiter cursum vitæ finierit, qualiter aleam æternitatis jecerit, adverte atque idem conare.

## C A P U T XXIX.

### Suprema ægritudo & Pia Mors Patris Martini.



Non dissimilis integerrimæ vitæ occasus fuit. quem P. Martinus tam certâ notitiâ prævidisse animo, quâ diutinâ præparatione faustum sibi ac beatum adornâsse visus est. Nam iterum ac sæpiùs disertè asseruit, Anno seculi Quinquagesimo, eodemq; Jubilæo (quo lætam reflorescentis Pacis & Reip. Christianæ faciem Orbi refulsuram piè ominabatur) minimè se futurum superstitem. ad proximè imminentem Conventum Generalem nonum, in Urbem se non iturum: hæc & illa, quæ nominabat, Provinciæ Collegia; se ampliùs non visurum: Brunam se se ad sepulchrum paulò post profecturum, ibiq; ossa sua depositurum. Postremo vitæ suæ mense, ante omnem gravioris morbi suspicionem, pro